



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

Art. I. Fides An & Quando fiat formata, vel sit informis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

S E R M O III.

FIDES

Informis & Formata.

Vtra sit Fundamentum Aedificii Spiritualis.

Fundamentum aliud nemo potest ponere, prater id, quod positum est, quod est Christus JESUS, id est, Fides in Christum JESUM, I. CORIN. III,

ARTICULUS I.

FIDES

An & Quomodo fiat Formata? vel sit Informis?



ERITO scite iteris, An Fundamentum Spiritualis, atque Christiani ex virtutibus con-
surgentis Aedificii, sit solum illa Fides, quae
Caritati est conjuncta, qualis reperitur
tantum in hominibus justis, & divina gra-
tia donatis? An verò etiam illa, quae à Caritate avulsa est,
& manet in peccatoribus fidelibus, gratia recedente?
Priorem vocant Theologi Fidem formatam, quoniam
fides à caritate, tanquam formâ perficitur. Non quod
Caritas propriè sit forma fidei; aut essentialis, sicut ani-
ma dicitur forma hominis; aut accidentalis, quae inhae-
reat, ut albedo corpori. Neque enim ita delirant subri-
les Scholastici, ut non animadvertât, duas esse specie di-
stinctas virtutes, & unam in intellectu, alteram hæere

in.

involuntate; ideoque, unam alteri non ita conjungi. Sed quoniam perfectionem aliquam Fidei addit Caritas, ut forma solet subjecto; & præcipuam vim, dignitatem, ac valorem meritorum ad beatitudinem consequendam Fides accipit à Caritate. Quomodo Paulus Apostolus, *Si habuero, ait, omnem fidem, Caritatem autem non habuero, nihil sum.* 1. Corin. hios XIII. Et idcirco commendat Fidem, quæ per caritatem operatur, ad Galatas v. Jacobus autem Apostolus, Fidem, caritate semotâ mortuam dicit cap. secundo epistolæ suæ, sensu superius dato, quia quamvis sit vera, non est tamen viva Fides: quomodo corpus, anima separata, verum est corpus, sed mortuum. Talis est Fides peccatorum, quæ à Theologis appellatur eodem intellectu. *Informis.*

ARTICVLVS II.

FIDES INFORMIS.

Verum sit Fundamentum.

NON nisi illam Fidem, quæ caritatem conjunctam habet esse Fundamentum Domus Sapientiæ, colligi videtur ex sententia Pauli initio recitata: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus: nempe, Fides in Christum Jesum, non solum vera sed & viva.* Sic sanè S. Augustinus exponit: nam cum non uno loco difficultatem sententiæ Paulinæ ostendisset, probat, Christum dici Fundamentum, id est, Fidem Christi quæ per dilectionem operatur, (ita libro de fide & operibus cap. 15. & 16. & ad Dulcitiū c. 1. At verò, D. Chrysostomus & Theophylactus, Fundamenti nomine intelligunt Fidem informem.

S. 4

Quod